

DISPUTATIONUM POLITICARUM
QUINTA,
DE
Rebuspublicis in genere &
in specie de mixtâ Repub.

QUAM PRÆSIDE
M. MICHAELE VVENDELERO P. P.

publicè proponit

GERHARDUS HERMANNUS HINTZIUS
Stad. Saxo,

ad diem 4. Decembr. hor. matutin.
in Auditorio minori.

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typogr. MICHAELIS Bendi Anno 1641.

a. CXXXI. 35.

Coll. diss. A
131, 35

DISPUTATIONUM POLITICARUM

GRATIA

DE

Repubblica in genere &

in specie tractanda

per

M. MICHAEL VENGELERO P. R.

Magistri

ARTIS MAGISTRI HISTORIÆ

Magistri

ad honorem & usum

universitatis

VITÆ

LIBRARIUS Typog. Altmanns Buchh. Anst. 1744

1744



THESES I.

Cùm omnis disciplina Practica resolutivo ordine tradi debeat, eò quòd sic faciliùs addiscatur, meritò post explicatum subjectum Politices, de interno ejusdè fine agit Aristot. qui est Resp. Multitudo enim civium, quantum obtinere potest, proximè obtinet felicitatem in Rep. Ostensum verò nuper est, Remp. esse formam civitatis, quam iccirco *Arist. 3. polit. cap. 6.* definit, quòd sit τάξις πόλεως, τῶν τε ἄλλων δέχων, καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων: aut explicatiùs *cap. 4. polit. cap. 1.* quòd sit τάξις ταῖς πόλεσιν, ἢ ὡς τὰς δέχας, τίνα τρόπον νεύμενται, καὶ ὑπὸ κύριον τῆς πολιτείας, καὶ τὸ πέλθῃ ἐκάστης τῆς κοινωνίας ἴσῃ.

II. Genus ab essentiâ petendum est, & à formâ, quam Resp. civitati superaddit. Illa verò est τάξις, quia per Remp. cives in ordinem coguntur; cùm multitudo sine ordine confusiones pariat, & felici concordique vitæ obsistat. Nihil autem interesse putamus, sive τάξιν interpretemur per ordinem, sive per ordinationem. Utrumque enim vocabulum designat legitimam constitutionem civitatis, in ordine consistentem.

III. Quia verò ordo refertur ad unum primum, à quo cætera dependent, in Reip. quoque ordine caput & principium est summa potestas, quæ cætera omnia sibi subordinat. Sed ab hoc principio ita dependent cætera, ut ab eo regantur, & leges accipiant, quod sine adjutoribus summa potestas efficere non potest. Hinc Magistratibus opus est, sine quorum prudentiâ ac diligentia civitas esse non potest. Quæcunque igitur essentiam Reip. constituunt, rectè complexus est Aristot. in hâc definitione, quando Rempub. dicit ordinem esse totius civitatis, consistentem in regimine summæ potestatis per medios Magistratus.

IV. **Distinctio Rerump.** non consistit in paupertate & divitiis, sed in personarum numero, quæ ad potestatem summam admittuntur. Quia enim Respub. est gubernatio summæ potestatis; hæc autem quiescit in personis, quando personæ variantur secundum numerum, Remp. quoque variari necesse est, quia gubernandi potestas aliter uni soli inest, aliter diffunditur in aliquos saltem, aliter in universos. Sive enim pauper sit rex, quales Tyrannos priscorum fuisse scribunt, sive sit dives, semper unam & eandem speciem Reipub. constituit.

V. Sicut igitur in Magistratibus non pariunt opes & pauperies diversitatem, ita nec in summâ potestate, quæ magistratum caput est, & principium regiminis. Equè enim Democratia fuit Respub. Romanorum, cum ferreis adhuc præ inopiâ uterentur annulis, & legatis loco pretii offerrent anulum aureum, atque tum, cum, devictâ Carthagine, magna vis luxûs Asiatici in urbem migraret.

VI. Et sanè si paupertas & divitiæ varietatem efficiunt Reipub. quid obstat, quò minus idem concedendum sit de rebus aliis, quæ eadem ratione ad Rempub. pertinent, ut alia sit forma, quando prudētes, alia quando imprudentes summæ potestatis participes sunt?

VII. Ridiculum autem sit, qui ex iis & pluribus aliis rebus diversitatem Rerump. petere velit: & tamen propius ferè attingunt regentes, quàm divitiæ & paupertas, quæ bona sunt externa tantùm.

VIII. Denique premitur hæc sententia hoc quoque incommodo, quòd cogatur confiteri, unius, paucorum & omnium imperia non differre specie. Nam ubi est eadem ratio constitutiva, ibi eadem species. Jam

pau.

paupertas potest inveniri in Monarchâ, optimatibus & toto populo. Omnes igitur illi status erunt ejusdem speciei, quia paupertas in imperantibus ubique invenitur. Eadem ratio est in cæteris, quæ præter numerum imperantium ad Rerump. constitutionem adhibentur, quia possunt tribus speciebus communia esse. Quæ verò communia sunt, non distinguunt.

IX. Propterea, quod Cicero scribit, se à Platone Philosophisq; didicisse Resp., tum à principibus teneri, tum à populis, aliquando à singulis, in eo putamus veras & primas species Rerumpub. proponi, quas & Tacitus lib. 4. his verbis expressit: *Cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut singuli regunt.* Latini enim sic absolutè species sine vitiis & virtutibus Remp. distinctè proponunt, sed in græcorum nominibus confusio quædam aborta est inter autores, dum alii in melius, alii in deterius idem nomen usurpant.

X. Quando enim unus imperat, tyrannis Æschyni vocatur, sed Plato, Plutarchus aliique generali vocabulo unius dominatum vocant Monarchiam, eamq; Plato & Aristot. dividunt in βασιλική & τυραννική. Paucorum statum adæquato nomine vocant quidam Oligarchiam; sed Plato & Aristoteles accipiunt pro corrupto, & ἀριστοκρατίαν pro benè constituto statu paucorum. Populi denique universi principatum sub communi Democratiæ nomine comprehendunt Æschynes, Plato, Plutarchus & Apuleius. Verùm Polybius eo utitur pro popularis status virtute, & Aristot. ubique ferè pro vitio, quando benè constitutam populi Remp. communi πολιτείας nomine intelligit, eo quòd ibi æquale sit jus omnium civium.

XI. Qui verò distinctè Rerump. species cognoscere, nec prolapsas cum veris confundere velit, illi nudè tres primi status ob oculos ponendi sunt, quando unus, quando minor, quando major pars civium summæ potestati præest.

XII. Sed in singulis speciebus maxima porrò spectanda est latitudo & diversitas. Simile enim quippiam hîc evenire necesse est, quod & alibi evenire videmus, ut in quovis genere sit aliquod primum, ad cuius proportionem cætera æstimentur. Sic de amicitia docuit Aristoteles, quòd prima & perfecta sit ex virtute: quæ ex quæstû dependent & utilitate, eatenus amicitia sunt, quatenus ad primam illam accedunt, & quò propiùs accedunt, eò dignius merentur nomen amicitia.

XIII. Pari modo statuendum est de generibus Rerump. in quorum singulis datur aliquod primum, perfectè & probè constitutum, à quo cætera vel propiùs vel longiùs abeunt, & defectum quendam important. De omnibus verò nomen generale dicitur analogicè, tanquam de uno ad unum. Monarchia enim de regno, dominatu & Tyrannide quidem dicitur, sed prius & maximè de regno, posterius de dominatu & denique de Tyrannide. Regnum enim norma est omnis Monarchia, à quo proximè dominatus, sed longissimè abest Tyrannis.

XIV. Cùm igitur debeamus omnium Rerumpub. constitutiones metiri ex illâ, quæ prima est in uno quoque genere & norma cæterarum, ante omnia necessarium est scire, quæ sit virtus benè conformatæ Reip., seu quid faciat perfectam Remp. ad cuius proportionem cæteræ examinari debeant.

XV. Lydius autem lapis, ad quem omnes Respub.

exi-

exigendæ sunt, ab *Aristot. 3. Polit. cap. 5. § seq.* proponi-
tur, quòd sit cura salutis & boni publici. Nam quia po-
testas refertur ad totam Remp. sibi subiectam, æstimanda
est ejus virtus ex curâ, quam gerit in regendâ Repub.
Tum verò benè administratur Respub. quando totius
cura & non unius vel paucorum habetur. Hinc enim
Plato manifestissimè prolapsarum Rerump. originem
facit, quando imperantes præposterâ partitione publi-
ca ad privatos usus intervertunt.

XVI. Ipse Homerus, ex quo Dion putat deduci
posse omnia præcepta Politica, ejus rei admonet impe-
rantes, dum regem vocat ποιμὴν λαῶν. Pastoris verò
est, in omnibus prospicere utilitati gregi, quia nō pot-
est esse pastoris excusatio, si lupo oves comedit & pa-
stor nescit. Et hoc est, quod Seneca ab imperante co-
gitari vult: *non suam esse Remp. sed se Respublica.*

XVII. Si duo Spartiatæ jure se obtulerunt Xerxi
prompti ultrò vitam pro patria profunderè, ; quan-
tò magis pro salute publicâ laborandum erit illi, quem
Respub. in eum usum sibi præfecit, ut ejus prudentiâ &
virtute salva sit. Id Julianus Imperator consideravit,
cùm Rempub. commissam ad eòdè caram haberet, ut per
eam juraret: *ita Respub. salva sit: ita quassatum recreem or-
bem Romanum.* Idem nostri Principes observarunt, dum
pro symbolo usi sunt: *Aliis inserviando princeps consumi-
tur; imitati Alphonsinum, cujus symbolum refert hi-
storia Alphonsi. Pro lege § pro grege.*

XVIII. Ostendimus suprâ, homines naturâ appe-
tere Rempublicam, ut in eâ benè ac beatè, quantum
fieri potest, vivant. Is enim Reip. finis est. Iam tum de-
mum res perfectâ est, quando finem, ad quem destina-
tur, assequi potest. Perfectâ igitur illa Respub. est, in
quâ

117. 22

quâ cives benè ac beatè vivunt. Sed ubi omnia trahuntur ad commoda privata, cives benè non vivunt, qui tum demum arbitrantur se felices esse, si eorum salus universim procuretur.

XIX. Cæterum priusquam particulariter simplices Rerumpublicarum formas pertractemus; videndum est, an ex earum confusione tertia quædam & mixta forma possit contemperari, quam nullo simplicium nomine rectè dixeris. Nam ad numerum Rerump. hæc quæstio omninò pertinet. Et quidem in tantis turbis, tamque crebris mutationibus actionum humanarum vix potest adeò simplex & inconfusa Respub. reperiri, in quâ non sit aliquid alieni admistum.

XX. Non tamen judicanda est Resp. mixta, quamvis leviter aliquid admisceatur, nisi formæ ita inter se temperatæ sint, ut nullius simplicis nomine jure nominari queant. Hic enim disputatio est de verâ mixtione, in quâ, quæ mixtionem patientur, Resp. ita contemperari debent, ut singulæ à suâ Majestate aliquid remittant, sicut elementa remitti necesse est, quanto perfectè miscentur. Plato non tantùm consentit talem Rempub. dari, sed & cæteris omnibus prælatam cupit. Hæc sententia est Isocratis, Polybii & Machiavelli. Eandem proponit & explicat Aristoteles. Concedunt & alii. Contra hos & multos alios disputat Bodinus prolixè, Tholosanus & Junius. Quâ de causâ operæ pretium fuerit, in hujus rei veritatem diligenter inquirere.

XXI. Quod ut distinctè faciamus, triplicem possumus mixtionem excogitare, eò quòd triplici modo jura majestatis possint dividi. Quia enim jura Majestatis sunt signa & argumenta summæ potestatis, penes illa debemus notare, quâ ratione potestas sit divisa.

XXII. Primum igitur fingamus, totam majestatem, vel universa jura, ad summam potestatem pertinentia, communicari singulis tribus statibus, ut regi, optimatibus & reliquo populo. Hujus mixtionis exemplum invenire non possumus, nisi fortassè per seditionem similis ἀναρχία nascatur, quam statim pessum ire necesse erit.

XXIII. Si enim æquale singuli status habeant imperium, quale erit ibi obedientium & imperantium discrimen? Nam cum in tali confusione nemo subsit, vana erit potestas, quæ in neminem habet imperium. Nec verò duæ æquales & distinctæ potestates ullâ in Repub. consistere commodè possunt; dum altera alterius legibus perpetuò intercedere potest.

XXIV. Alterum modum fingamus, quando idem jus majestatis pluribus statibus divisim communicatur, sed alio atque alio modo, sicut Cicero civitatem ita vult moderatam esse, ut potestas in populo, autoritas sit in senatû. Respicit ad Rempub. Romanam, de quâ scribit Livius lib. 1. *Cùm sensissent ea moveri patres, offerendum ultrò rati, quod amissuri erant, ita gratiam incunt, summâ potestate populo permissâ, ut non plus darent juris, quàm detinerent. Decreverunt enim, ut cùm populus regem jussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fierent.* Hoc decreto majestas fuit inter patres plebemque divisa, sed apud patres constitit in autoritate, apud populum in potestate.

XXV. Verùm quia talis majestatis divisio admittit omnes cives, licet aliâ atque aliâ ratione, mixtionem non efficit, sed popularem statum relinquit. Unde apud Romanos hoc jus mansit, cùm maxime Democratica esset Respublica. Nam Livius lib. 1. testatur, eum morem in legibus magistratibusque rogandis observari solitum usque ad sua tempora.

B

Re-

XXVI. Restat igitur tertius modus, quando jura Majestatis separantur, & diversa diversis statibus attribuuntur. Quod n. Bodinus objicit, majestatem consistere in indivisibili, nisi de summâ & perfectissimâ majestate intelligat, falsum est. Nam plura sunt capita & jura, quorum concursus efficit majestatem perfectam, quam quidem totam & in universum pluribus communicari impossibile est: sed partes ejus nihil prohibet disjungi & pluribus attribui, ita quidem, ut in singulis sit particula majestatis: in toto verò corpore summa & plena majestas, ex concursu partium suas majestatis particulas in unum comportantium resultans.

XXVII. Non sunt autem jura Majestatis ad eum modum dividenda, quem fingit Bodinus, ut populus magistratum creandorum, ærarii publici, vitæque jus & necis habeat; nobilitati legum ferendarum, belli pacisque ac tributorum imperandorum jus tribuatur: regi verò tum universi, tum singuli cives jurejurando obstringantur ad fidelitatem, obsequiumque sine cujusquam exceptione præstandum.

XXVIII. Ita enim Bodinus singulis partibus talia jura concedit, quæ trahunt secum universam majestatem, cum legum de omnibus rebus ferendarum potestatem, cum quâ conjunctum est imperium omnium rerum, nobilitati soli committat. Ita etiam fieri non potest, ut ad omnia regi possint subditi obligari in mixtâ hâc Republicâ, quia & hoc modo omnium rerum summa deponitur in sinum regis.

XXIX. Sed quia leges, aut ad statum Reip. pertinent, cujus conformatio ad omnes partes spectat, aut de rebus aliis feruntur, illas oportet, aut jam ante foundationem Reip. conscriptas esse, aut consensu omnium

con-

conferri, electis ad hoc prudentissimis viris cum suffi-
ciente potestate.

XXX. Si quis verò commodiorem miscendi mo-
dum desideret, licet unus omninò non sit, sed pro ra-
tione Reipub. diversus, vel hęc vel aliã quãvis ratione
liceat cum sine absurditate institui. Summa dignitas
sit penes regem, cui ad præstandam reverentiam omnes
obligentur. Sed ne in solà dignitate majestatem regis
locemus, poterit adjungi potestas conscribendi exerci-
tum, bellum gerendi, & paciscendi cum externis ad sa-
lutem Reipub.

XXXI. Præterea cùm gratiosum maximè munus sit,
& legibus non alligetur, distributio præmiorum, & hęc
regi concedi potest: nec obstat, quò minùs jus impe-
randi tributa & eudendi monetam eidem tutò permit-
ti queat. Senatus iis præficiatur rebus, quæ maximè
indigent prudentiã, ut sunt judicia publica & leges de
rebus extra statum Reipub. ferendæ. Plebs verò ærarii
curam & Magistratum creationem habeat.

XXXII. Sed quia Aristoteles monet, non esse idẽ-
am fingendam, sed respiciendum potius ad exempla,
utrum conditio hominum patiatur sibi talem Remp.
induci, operæ pretium fuerit, formas Rerumpub. quas
pro mixtis autores venditant, examinare, an ullibi vel
talis, qualem proposuimus, vel alia mixtio inventa
fuerit.

XXXIII. Laconicam Rempub. à Lycurgo plerique
ex tribus formis temperatam credunt. Sed rectiùs ju-
dicavit Aristoteles *4. Polit. cap. 9.* solam Democratiam
& Aristocratiam ibi componi. Reges enim nulla ma-
jestatis jura usurpârunt. Nec dignitas eorum prolixa
fuit, cùm Xenophon scribat, regum honores parùm

ad modum privatorum honoribus antecelluisse. Nam
quæ multi recensent autores, honorem quidem desi-
gnant, sed sine potestate. In cæteris subjecti fuerunt E-
phoris & legibus, quia singulis mensibus his jurabant,
se secundum leges gubernaturos. Undè Aristoteles
maximè vocat eos secundum leges: at idem regem se-
cundum leges negat absolutè regem esse. *XXXIV.* Ephorum imperium abundè declarat
Xenophon, qui cum narrasset, Agesilaum jussu Epho-
rorum revocatum fuisse, addit: *Agesilaum maluisse
domi imperium pati, quàm in Asiâ maximum esse.* Un-
dè per potentiam Ephorum scribit Philotophus re-
giam potestatem evulvisse. Nam Agidem conjece-
runt in carcerem ibiq; suffocârunt. Nec Cleomenes
quicquam est ausus aggredi, priusquàm Ephoros su-
stulisset.

XXXV. Ephori ait Aristoteles omnes magistratus
alios corrigunt: & Xenophon, Ephori, quæcunque ve-
lint, potestatem mulctandi habent, & exemptò exigen-
di, nec non in Magistratu constitutos interim abrogan-
di, & in carcerem conjiciendi, ac de vitâ certamen in-
stituendi.

XXXVI. Quia tamen jura nonnulla senatui relicta
fuerunt, utpote potestas per totam vitam decernendi,
largiendi, gratificandi, in nonnullis quoque de vitâ &
morte judicandi, & cætera; iccirco cum Democratiâ,
cujus potissimæ partes fuerunt, Aristocratiam tempe-
ratam statvimus.

XXXVII. Alterum exemplum ponit *Polyb. lib. 6.* in
Repub. Romanorum, quam ut rectè dijudicemus, va-
ria mutationū tempora nobis distinguenda sunt. Nam
sub regibus florebat Monarchia. Ejectis regibus in
majestatis recidit ad consules. Sed statim Publicola

com.

communicavit potestatem populo, cum leges ferret de provocatione à Consulibus ad populum & de imperio à populo accipiendo. Nam his legibus ait Livius dissolutum esse imperium consulare, quia hinc plebs cepit occasionem patribus se opponendi, & jura majestatis iis eripiendi. Hinc natae sunt conciones tribunorum plebis in patres & patrum in tribunos, cumque consul mitteret lictorem ad tribunum, tribunus misit viatorem ad consulem, adeò ut inter Aristocratiam & Democratiam Respub. videretur ambigere, donec in puram Democratiam degeneraret.

XXXIIIX. Antea verò primis post reges ejectos annis peculiaria majestatis jura Senatus usurpabat. Nam praemia & honores decernebat. Tribuni autem ab initio creati solebant, non juri dicendo, nec causis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus praesentes fuissent, ut injuria, quae coram fieret, arceretur.

XXXIX. Verum tribuni mox transgressi sunt sui juris limites, dum Martio diem dixerunt, & venire recusantem damnaverunt. Pari ratione traxerunt ad se jus de provinciis decernendi. Quin & eò progressi sunt tribuni plebis, ut cum plebis scita solam plebem tenerent, posthac & iis patres subjicerentur. His legibus effectum est, ut, quam haecenus tanquam suam usurpabant patres, potestatem cogere totum populo committere, & tum facta fuit Respub. popularis, quae inter Democratiam & Aristocratiam antea ambigua fuerat.

XL. Quod verò Monarchiae vestigium in consulibus notent quidam, & Didacus scribat, Respub. contulisse summam potestatem in consules, nihil est, cum consules imperium tantum precario habuerint, & tan-

quam Reipub. totius vicarii. Imò Pomponius negat, consules habuisse jus gladii in cives, quia de capite civis non licebat cuiquam, nisi per maximum comitiatum, cognoscere. Decreta quoque consulum invitum populum non obligasse, autor est Plutarchus. Præterea adducebantur in carcerem consules à tribunis, & suorum actorum, postquam à Magistratû abierant, rationem iisdem reddebant. Quæ omnia declarant, regiam potestatem in consulibus non fuisse.

XLI. Postquam Democratia Romana per factiones Syllæ, Marii, Pompeji & Cæsaris in Monarchiam vicissim abiit, indulgentia Imperatorum fecit, ut nonnulli, ad externam tantùm formam intenti, crederent, primorum Imperatorum majestatem non fuisse regiam, vel absolutam, cùm principes tantùm vocarentur, non reges. Sciebant enim Domini & regis nomen in liberâ civitate odii & periculi plenum esse.

XLII. Verùm licet regios titulos repulerint Imperatores, isthâc tamen simulata modestia jus & potestatem omnem ad se trahebant. Nam, quod Cæsar rejiciebat diadema in Capitolium, passus est, statuis suis imponi, quod cùm Flavius & Marullus detraherent, amovit eos à tribunatû. Plutarchus etiam addit, Cæsarem perfecisse, quanquam civibus invitis, ut publico decreto in conventibus regiâ veste indui coronâque laureâ ornari perpetuò sibi liceret, ejus rei, quòd calvus esset, causam afferebat.

XLIII. Igitur quod de Pericle scribit Thucydides; eum titulo tenus fuisse curatorem Reipub. reipsâ verò principem, idem de primis Imperatoribus dicere possumus. Regem enim non ex nomine æstimamus, sed ex summâ unius potestate. Hâc cùm usi fuerint Imperatores

res

res primi, regibus eos annumerare non veremur, licet regium nomen aliâ ex causâ repudiarint. Summam autem in eos depositam fuisse potestatem plurimi docent.

XLIV. De posterioribus verò, item de Græcis, Francis & primis Germanorum Imperatoribus, dubium non est, quin Monarchicè imperârint: verùm hodiè videtur aliquid potestatis transisse ad Principes. Hic meritò cum Charione & Philippo in Chronicis dolendum est, quòd primam Electorum originem ignorare cogamur, undè conjecturam facere queamus, quo tempore Monarchia simplex temperari cœpetit.

XLV. Disputent alii de primo Electorum ortu: id constat, Ottonem M. statuisse, ne Imperator eligeretur, nisi ex Germanis & ab iisdem, quod Ottho tertius Romæ repetiit, cum Crescentium suspendisset, & Placentinum de Capitolio præcipitasset. Ibi quidem electionis fit mentio, sicut & Conradus Salicus diu non potuit adire imperium, cum Principes nondum consentiret; sed 7. electores nondum exprimuntur.

XLVI. Propterea Carolus IV. in aureâ bullâ, rationem eligendi Imperatorem vocat inveteratam consuetudinem. Sensim enim & electionem & jura imperatoria in se transtulerunt Principes, donec ea propria sibi facerent. Sed progressû temporis Electores & Principes in isto jure se magis confirmârunt, ita ut Albertus Elector, Archiep. Moguntinus & Marchio Brandenburg. in collegio Electorum anno 1319. imperium Germanorum contendant esse Aristocraticum.

XLVII. Et reverà absolutam Imperatoris potestatem non esse, argumento est, quòd in senatû Principum judicari possit, cum jam olim coram Palatino conveniri po-

ri potuerit. Imò Adolphum Nassovium & Wenceslaum Bohemum removerunt Electores ab imperio, quòd illud malè administrarent. Hinc cogunt Electores electum Imperatorem, ut priusquam imperium ad-
eat, juret, se omnia privilegia & honores statibus serva-
turum.

XLVIII. Ipsum etiam juramentum, quia cogitur illud Imperator præstare, arguit superiorem collegii Principum potestatem. Aliàs enim inane sit, subditos velle Principes suos ad juramenta cogere, quasi eorum fidem ita vilem habeant, ut nisi juratis non credant, cum tamen Areopagitæ non passi sint, Xenocratem pro judicio jurare, rati nefas esse, viro bono, etiam injurato, fidem non habere.

XLIX. Cætera quoq; jura majestatis ex parte tran-
sierunt ad principes, inter quæ potestas ferendi aut ab-
rogandi leges caput est. Summum enim imperium, ait Innocentius, ejus est, qui ordinario juri derogare potest: Et Tyberii vox est: *Non aliter constat ratio, quàm si nulli reddatur.* Sed eâ se privant Imperatores, dum ex constitutione aureæ Bullæ jura & privilegia se omnibus servaturos jurant.

L. Carolo V. inter cæteros hi exhibiti fuerunt arti-
culi: leges omnes imperii, & imprimis auream Bullam non modò confirmet, sed & de Electorum consilio, cum res ita feret, amplificet. Item de rebus imperii foedus & pactum nullum faciat cum externis, nisi de Sc-
ptemvirorum consensu.

LI. Aristoteles potestatem creandi Magistratus ju-
ribus accenset, & Polybius ut ostendat majestatis ali-
quid penes plebem fuisse, ex hoc signo id demonstrat, quòd plebs demandaverit magistratus: Sed cum quo-
que

que potestatem in Carolo certis conditionibus circumscripserunt Electores.

LII. Plurima tamen ejus arbitrio reliquerunt, ex quibus Majestas Imperatoris vicissim arguitur. Potestatem n. conferendi, ut Jurisperiti loquuntur, feuda, & mandandi honores, Carolo V. Principes omninò non ademerunt, & cum Landgravio à Granvellano objiceretur: Cæsarem è Germaniâ ne tantillum quidem accipere, respondit Landgravius: Etiam si non fortè ita multum ad Cæsarem ex imperio redit: tamen, quòd & in Turcam & Galliæ regem & in alios ei dantur auxilia, quòd imperii dignitas auctoritatem ei summam ad cæteros reges conciliat, quòd copias perpetuò & exercitus maximos in Germaniâ conscribere potest, cum id cæteris non liceat, quanti id esse putabitur?

LIII. Cæterum utilitatem, quam ex imperio habet Imperator, & honorem quidem hæc demonstrant: potestatem verò ut multa alia, ita potissimum, quòd votum Imperatoris Colophonium sit cæterorumque suffragia compleat. Undè illud: *de imperialis potestatis plenitudine decernimus.* Nam Carolus V. acriter objurgavit Principes, quòd in comitiis Noribergensibus se inscio in causâ Lutheri decrevisset. Imò ipsi Electores, Principes & civitates Aquisgrani Imp. fidem dant, quos Imperator non tantum imperii, sed & suos fideles vocat.

LIV. Cæterum hoc modo Monarchia Aristocratia temperata videtur. Quibus imperii jura intimius cognita sunt, rectius judicare poterunt, quorum sententiæ nostram libenter subjungemus.

LV. Similis videatur alicui constitutio regni Poloniæ, nisi quod ad Aristocratiam propius vergat. Quan-

C

quam

quam enim primi reges absolutiorem habuerunt potestatem, posterioribus tamen, evalescente potestate in plures divisâ, plurimum imperium detractum & ad nobilitatem translatum est: in primis, cum Ludovicus, ut uni ex filiabus contra solita regni jura, & Jagello, ut uni ex filiis regnum emeretur, multum de jure regis remiserint, adeo ut Christiana, Cæsaris filia, Vladislai uxor, jam tum dixerit: *Summum illud jus & auctoritatem Monarchiæ in Poloniâ umbratilem esse.*

LVI. Audiamus confessionem ipsius Stanislai Orichovis, qui in oratione de LL. Polon. ad proceres: Rex, inquit, *Polonia nihil aliud est, quam os quoddam regni vestri, vobiscum conjunctum, libero ac legitimo vestro suffragio, ut is prorsus nihil agat, nihil molatur, ac ne loquatur quidem, nisi id, quod ex intimo sensu vestro publicè sit profectum. Senator autem, quem majores Præsidentem libertatis atque custodem esse voluerunt, eâ ratione regi adjungitur, ut custos is sit & vindex illius cupiditatum: ac ut in sententiis dicendis regi praeat, illum doceat, quid illi pro communi vestra salute agendum edicendumve sit.*

LVII. Sigismundus Aug. Petricoviæ anno 1548. in se recepit, se nunquam commissurum, ut non communicato cum Senatoribus consilio ullâ de re quicquam statuat. Eo jure irritum factum est testamentum Casimiri M. quod inscio Senatû conditum erat, & Jagello prohibitus fuit anno 1398. Cruciferis bellum inferre, quod nobilitas dissentiret: cumque idem in Lituaniam iter adornaret, additus est comes, ne quid ex sua solius sententiâ ageret. Ita & Casimiro tertio quatuor adjuncti sunt Senatores, sine quibus, quid ageret, irritum esset.

LVIII. Adeo ampliatum est hoc jus Senatûs, ut

ncc

nec in rebus domesticis, nec in ducendâ uxore, rex liberum habeat arbitrium. Legum ferendarum potestatem ipsi reges à se amoveant, dum jurant, se contra leges, privilegia, jura, immunitates Baronum, Magnatum, civitatum, oppidorum, nihil molituros.

LIX. Præterea provocatio, quæ summi imperii argumentum est, non tam ad regem, quàm conventus regni terminatur. Quin etiam jus ærarii à rege in thesaurarium amovit Alexander anno 1504: qui thesaurarius habet etiam jus cudendæ monetæ.

LX. *Jodoecus* tamen *Ludovicus Decius* in lib. de gest. *Sigism.* officiorum regionum, Palatinorum, Castellaneorum, Capitaneatum collationem regii juris esse scribit. Nobis ostensum est, pleraque jura ad Senatum transiisse, relictâ interim regi summâ dignitate, quippe quem ubique scribuntur nuncii terrestres suppliciter adire & rogare, & in quem solum committitur crimen læsæ majestatis.

LXI. Ultimum mixtæ Reip. exemplum ponimus in Venetâ Repub. quam *Patricius*, *Janottus*, *Piccolomineus* & *Bodinus* judicant penitus Aristocraticam esse. Nam quatuor summa potestatis capita, creationem magistratum, deliberationem de bello & pace, introductionem legum & provocationem, demonstrat *Janottus* esse penes M. consilium, consilium de Pregadi & Collegium: ad quæ nemo admittitur, nisi ex patritiis familiis ortum suum adsciscere queat.

LXII. Nam sive cum *Scabellico* omnes Venetos divides in patritios & populares, sive cum *Janatto* in Patritios, Cittadinos & populares, id constat apud omnes, ad summum consilium neminem admitti, nisi patritium. Quâ de causâ tota Resp. Aristocratica est.

Ab

LXIII. Ab initio quidem fuit solutior ducis potestas, cum solus ferè rerum potiretur. Sed hæc coepit imminui sub Sebastiano Ciani, qui creatus est anno 1175. & subinde, crescente autoritate consiliorum, ita decrevit, ut nulla ferè amplius sit. Plebsverò consiliis prorsus excluditur. Unde nihil aliud colligere possumus, quàm Remp. Venetorum prorsus esse Aristocraticam.

FINIS.

Præstâtissimo Dn. Respondenti, meo in Practicâ Philosophiâ discendâ auditori hæctenus admodum constanti.

*Qui Sopiã rectè didicit, post, quidquid is audet,
Plenior & melior sermo futurus erit.
Id cum præstiterit doctissimus Hintzius unum,
Cum fructu leges doctaque jura leget.
Auditum veniat, qui non vult credere nobis,
Hoc qui defendat dogma thesesque suas.*

PRÆSES.

Coll. diss. A. 131, misc. 35